



P. 6. 132

von

Theol.  
N. IV. 420.





2

M. GEORG IO. HENCKEN,  
ECCLESIAE GLAVCHENSIS DIACONI,  
INTRODVCTIO  
HISTORICO - PHILOLOGICA  
AD  
LIBROS  
APOCRYPHOS  
V. TESTAMENTI;  
EXHIBENS  
POTIORA MOMENTA  
CIRCA  
ILLOS OBSERVANDA;  
IN VSVM STUDIOSAE IYVENTVTIS  
BREVITER AC SVCCINCTE CONSCRIPTA, RE-  
VISA ET SECVNDA NVNC VICE AV-  
CTIOR RECUSA.



---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis & Sumptibus CHRISTIANI HENCKELII, 1718.

3

**V I R O**  
SVMME REVERENDO ATQVE AM-  
PLISSIMO,

**DOMINO**  
**IOAN. PORSTIO,**  
S. REGIAE MAJ. PRVSSIAE A CONSILIIIS  
SACRIS, PRAEPOSITO BEROLINENSI ET PASTO-  
RI AD AEDEM D. NICOLAI PRIMARIO, NEC MINVS  
VICINARVM ECCLESIAE GYMNASIIQVE BERO-  
LINENSIS INSPECTORI GRAVISSI-  
MO,

**V I R O**  
DE ECCLESIA CHRISTI MERITISSIMO, ET IN  
CHRISTO PARENTIS INSTAR VENE-  
RANDO,

*Gratiam, Misericordiam ac Pacem!*

## VIR VENERANDE!



Effluxere anni octo, quum introductio hæc ad Libros Apocryphos V. T. Historico-Philologica primum in lucem prodiret. Audebam leuidensem hunc meum laborem TIBI, VIR VENERANDE, vt & DNN. CONRADO GODFRIDO BLANCKENBERGIO, Præposito Berolinensi, Inspectori & Pastori ad ædem D. Nicolai Primario, & IOANNI LYSIO, Pastori itidem Berolinensi, Viris de Ecclesia Christi meritissimis, *ἄνδρες ἐν ἀγίοις* dicare atque consecrare.

Quandoquidem vero opusculi huius editio altera, prioris exemplaribus distractis, deposcebatur, TVO, VIR VENERANDE, Nomini de nouo illud inscribere obstrictum me iudicaui, vt, data mihi hac occasione, contestarer publice tum reuerentiam erga TE meam haud intermortuam, tum pe-  
ctoris

DEDICATIO.

etoris mei gaudium, quod Deus O.M., duobus istis fidelibus suis seruis ex hac vita auocatis, TE Ecclesiæ in hunc vsque diem, insigni cum fructu, superstitem esse voluerit. Seruet is ipse Deus TE, in Ecclesiæ suæ solatium ac emolumentum, quam diutissime; & quo sublimius ac grauius illud, quod humeris nunc Tuis incumbit, officium est, eo magis adaugeat indies gratiam super Te suam, eoque largius subinde Spiritus sui sancti dona in TE effundat, maioresque vires, animi pariter ac corporis, TIBI largiatur; id quod ex animo vouet

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

Glauchæ ad Halam

d. 12. Sept. 1718.

*Cultor obstrictissimus*

M. GEORG IO. HENCKE.





**De Libris APOCRYPHIS V. T. aeturi,**  
totam tractationem duobus capitibus absoluemus. Pri-  
mum aget de iis *generatim*; alterum de singu-  
lis *speciatim*.

**CAP. I.**

**CONSPECTVS.**

**O**ri<sup>o</sup> vocis τῶν Apocryphi ac denominationis ratio indagatur. §. I. diuerse  
librorum Apocryphorum classes. §. II. quot & quinam illi, de quibus no-  
bis sermo est. §. III. qua lingua conscripti. §. IV. quo tempore & a quo corpori  
Bibliorum fuerint inserti. §. V. quantus illorum valor, pretium & auctoritas in  
Ecclesia. §. VI. VII.

**§. I.**



**Irca Libros Apocry-**

phos *generatim* versantes, consideramus  
primum *originem vocis ac denominationis*  
*rationem*. Apocryphus, ceu cuius fa-  
cile patet, vox est origine graeca. Vnde  
vero deriuetur, non vna omnium est  
sententia. Quidam enim ita dictos vo-  
lunt a voce κρυπτη, i. e. *capsa seu arcula*,

in qua aliquid absconditur; & ita denominatos putant, quod  
in arca sacra vna cum Canonicis V. T. libris non fuerint reposi-  
ti: q. d. αἱ βιβλοι ἀπὸ τῆς κρυπτης, i. e. *libri a crypta sepositi*.  
Hinc Epiphanius libr. de Ponder. & Mens. p. 534. διὸ ἄρα ἐν τῷ

ἀποκρύφου ἀνετέθησαν, τὰτ' ἔστιν, ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. \* Alii, & quidem rectius, deriuant vocem ἀπό τῆ ἀποκρύπτειν, *abscondere*, vt libri ἀπόκρυφοί dicantur *quasi absconditi*; non tantum, quod auctores eorum ex parte sint incerti, sed vel maxime, quod de eorum origine ex inspiratione diuina non constiterit Ecclesiae eius temporis, quo prodierunt, neque Ecclesiae succedentium saeculorum. *Hottingeri* Thes. Phil. Libr. II. c. II. Sect. I. p. 514. de huius vocis vsu & origine iudicium tale est: ἀπόκρυφος, inquit, vox graeca est, quae Hebraicae respondet קְבוּרָה, *absconditus*, inde Plural. קְבוּרָה, ἀπόκρυφοί. Quid vero apud Hebraeos קְבוּרָה, ἀπόκρυφοί? Erant libri, vel VITIOSE SCRIPTI & ne errandi aliis occasionem praeberent, aut ad PRIVATOS VSUS RESERVATI, aut IN TERRAM SEPULTI; vel aliis V. T. libris vere Canonicis, Legi praesertim, CONTRARI; quos omnes Iudei non tantum non legerunt, sed & ne legendos quidem estimarunt. Immo, vt ne percurrerent eos alii, ἀπέκρυψαν. Vnde formula illa Rabbiorum: בקשו לגנוב, *voluerunt αποκρύπτειν*, i. e. IN NUMERVM APOCRYPHORVM REFERRE. Quandoquidem igitur in libris, quos vocamus *Apocryphos*, hinc inde reperiantur nonnulla, quae cum veritate & libris Canonicis pugnant, factum hinc est, vt veteres Iudaei, eorumque exemplo recentiores, in numero librorum Canonicorum relinquere iis locum voluerint nullum.

S. II. Quum vero libri *Apocryphi* sint non vnus eiusdemque generis, in tres commode diuesci possunt classes. *Prima* eos complectitur, quos Pontificii pro Canonicis agnoscunt. Sunt autem illi: *Tobias, Judith, Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Epistola Ieremie, Hymnus trium puerorum, Historia*

\* Ita deprauatum admodum Epiphanii locum corrigendum esse, monet *Cham. Panstr.* t. I. p. 135. *Josephus Scaliger* in animadu. in Chronol. Euseb. p. 206. b. sensu plane contrario h. m. διὰ δὲ ἐν τῇ λέγων ἀνετέθησαν, τὰτ' ἔστιν, ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. A quo vero non sine ratione dissentit *Suicerus* Thes. Eccl. part. 1. fol. 1. locum sic restituens: Διὸ δὲ ἐν τῷ λέγων ἀνετέθησαν, ἄτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ, vel: τὰτ' ἔστιν, ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ.

*Susanna, Beli & Draconis, I. & II. Maccabeorum.* vid. Conc. Trident. Sess. III. & *Huetius* demonst. Euang. propos. IV. p. 360. 363. 373. 417. 422. 449. 455. 464. 525. 572. *Secunda* classis illos continet, qui ipsorum quoque Pontificiorum iudicio exultant a canone; nimirum *Oratio Manassis, III. & IV. Maccabeorum,* item III. & IV. *Efra.* *Tertiam* denique classem constituunt ii, quos, fatente *Hieronymo,* Ecclesia ne in manus quidem sumit. Et horum quidem duo sunt genera; quidam enim ex illis ad V. T. spectant, e.g. *Libri Adami,* Ἀποκάλυψις Ἐνώχ, *Testamentum XII. Patriarcharum,\* Oratio Iosephi, Testamentum Moysis,* Ἀνάληψις Μωσέως, s. *Assumptio Moysis,* Ἀνάβασις Μωσέως, s. *adscensio Moysis \*\* ספר יהונתן ומטרא, Liber Jananis & Jambris \*\*\* Psalterium Salomonis &c.* de quibus omnibus

\* Ἀποκάλυψις Ἐνώχ & *Testamentum XII. Patriarcharum.* Ex horum alterutro Apostolum *Judam* prophetiam *Henochi,* quam in epistola sua v. 14. 15. citat, desumpsisse, nonnulli existimant. Alii vero, quibus hi libri merito suspecti sunt, ex nota & confessâ eo tempore traditione ipsum eandem habuisse, quam veram esse Spiritu magistro cognouerit, verisimilius credunt. Vid. *Gurtler.* Theol. prophet. c. V. §. 7. p. 56. c. XLV. §. 4. p. 73. seq.

\*\* Ἀνάληψις & Ἀνάβασις Μωσέως. Ex alterutro horum Apostolum *Judam* ea, quæ de certamine Archangeli *Michaelis* cum *Sarana* de corpore *Mosis* in epist. sua v. 9. dicit, mutuatum esse, nonnulli perhibent. Sed nihil vetat credere, inquit *Witsus* Melesem. Leidenf. p. 484. mansisse ista in memoria *Israelitarum* ex κατ' ἑξῆς veterum, quæ longinqua traditione ad Apostolorum ætatem denuerit: eam autem traditionem erroneam non esse, Spiritus S. instinctu didicisse ac docuisse *Judam.* vid. etiam *Gebhardi* Comm. in Ep. *Judæ* p. 219. seq. qui pluribus demonstrat, multa fabulose veritatique diuinæ contraria hæc in libris referri.

\*\*\* ספר יהונתן ומטרא. Ex hoc libro Paulum 2 *Tim.* 3. 8. nomina magorum *Aegyptiorum* desumpsisse, *Origenes* & *Ambrosius* putant. At *Chrysostomus* Hom. 8. in hanc Ep. Nomina, inquit, vel ex traditione habebantur, vel verisimile est, Paulum ea reuelante Spiritu cognouisse. Vid. *Iargum Jonatham* Ex. I. 15. c. VII. n. quibus locis dicuntur Principes fuisse magorum, it. *Obserrat.* Hal. T. 1. p. 10. *Richard. Simon.* Hist. Crit. V. T. p. m. 56. ex *Sohare, Buxtorff* Lex. Talm. p. 945. seqq. nec non *D. Jo. Andr. Schmidii* Dissert. de Pseudo-V. T. p. 45. seq. vbi *Lambecius* citatur, qui testimonium Pauli occasionem potius dedisse fingendi *Libri Apocryphi,* dudum a *Gelasio* hoc nomine reiecti, iudicauit.

bus vid. D. *Joh. Andr. Schmidii* Dissert. de Pseudo - V. T. & D. *Io. Albert. Fabricii* Codex Pseudepigraphus V. T. Quidam vero ad N. T. referuntur; v. c. *Euangelium de Natiuitate Mariæ, Proteuangelium Jacobi, de Infantia Christi &c.* de quibus conf. si placeat, D. *Jo. Alberti Fabricii* Codex Apocryphus N. T. Mentionem autem dum facimus librorum Apocryphorum N. T. non possumus non verbo monere, non confundendos hos esse cum illis N. T. libris, qui a nonnullis etiam nomine Apocryphorum fuere insigniti; sed alio plane sensu. Sunt nimirum illi *Epistola ad Hebræos, Jacobi, II. Petri, II. & III. Johannis, Juda & S. Apocalypsis*. Dicti sunt hi libri *Apocryphi*, quod non omnibus certa ac infallibilia existere testimonia, an ab illis, sub quorum nominibus editi, etiam fuerint consignati. Distinguere itaque hac denominatione voluerunt ab iis N. T. libris, de quorum auctore secundario fuit nunquam dubitatum. Aliis iidem dicuntur *Canonici secundi ordinis*.

§. III. Postquam igitur tres librorum Apocryphorum classes constituimus, nobis in præfenti sermo est de prima ac secunda eorumdem, qui corpori Bibliorum sunt inserti. Sunt illi III. liber *Esdrae, Tobia, Judith, Esther, Sapientia Ecclesiastici, Baruch, Epistola Jeremie, Hymnus trium puerorum, Historia Susannæ, Beli & Draconis, I. II. & III. Maccabeorum & denique Oratio Manassis*. \*

§. IV.

\* Librum IV. Esdræ & IV. Maccabeorum omisimus, quia in paucis Bibliorum editionibus leguntur, nec a Pontificiis ipsis pro Canonicis habentur. Et quidem ad IV. librum Esdræ quod attinet, totus visiones completens a Christiano quodam Judæo videtur elaboratus, coll. c. II. & VII, 28. seq. Versionem Arabicam vidit *Jo. Gregorius* in bibliotheca Bodleiana a Latino exemplari valde differentem; vid. D. *Io. Albert. Fabricii* Codex Apocryph. N. T. p. 936. seqq. De IV. Maccabeorum libro ita *Philostorgii* sententiam proponit *Photius*: Το μὲν τοῦτε τεταρατὸν ὑπὸ Ἰωσήφου γεγραμμένον ἔχει αὐτὸς συνομολογῶν, ἔχει ἱστορίαν μᾶλλον ἢ ἐγκώμιον εἶναι φησὶ, τὸ περὶ τὸν Ἐλεάζαρον ἢ τὰς ἐν τῇ παιδείᾳ τῆς Μαρκιανῆος διηγούμενον. Quartum denique a *Iosepho* scriptum, (& ipse aliis consentiens) ait, non tam historiam, quam encomium esse, occupatum circa Eleazarum, eiusque septem filios. *Eusebius* quidem

§. IV. Quæritur: qua lingua memorati hi libri sint consignati? Certum est, scribit *Hottingerus* Theol. Phil. libr. I. cap. III. Sect. III. qu. VII. p. 314. seq. non omnes ea, qua nunc leguntur, lingua primitus fuisse conscriptos: -- Christianorum nunc contenti testimoniis dicimus, non paucos libros Apocryphos Hebraice aut Chaldaice olim fuisse lectos, quos tamen omnes iniuria temporum perisse constanter adserimus. Est enim vel aliqui, vel omnes ex libris illis Hebraice extant, tum typis excusi, tum etiam manuscripti, recenter tamen exercitii causa versos esse, vel ipsa stili cruditas & a Judæis observati Solæcisini satis euincunt. Quinam autem libri Hebraice aut Chaldaice originaliter putentur conscripti, suo loco videbimus, acturi de lingulis libris speciatim. Quod si vero quæris, cuiam eorum translatio accepta ferenda? respondet idem *Hottingerus* l. c. cum *Alting*, Theol. Probl. loco 2. probl. II. LXX *Interpretes* nullum librum Apocryphum vertisse, sed *Theodotionem*, quod ex *Hieronymo*, *Sixto Senensi* aliisque luculenter colligi possit.

§. V. Sequitur, ut, quo tempore & a quo libri Apocryphi canonicis Scripturæ libris in corpore Bibliorum annexi fuerint, paucis attingamus. Nil certi quidem dici hac de re potest aut definiri. Sunt, qui a LXX *Interpretibus* id factum dicunt; sed sententia ista certo haut nititur fundamento. Quum enim illi sint Judæi & a Judaica Ecclesia missi, libros in Ecclesiæ Judaicæ canone non inuentos, nec ab Ecclesia receptos, canonici adiunxisse, haud verisimile videtur. Alii hoc tribuunt *Theodotioni*, cui *Hottingerus* cum aliis græcam quorundam librorum Apocryphorum adscribit versionem, vid. §. IV. Ille primus

B

mum

dem H. E. libr. III. cap. X. hunc Iosephi librum, qui quartus Maccabæorum a Philostorgio nominatur, a libris Maccabæorum distinguit, & ἐν ἀγνεῖς πικρὰ δασύα, haud ignobile opus vocat, eumque inscribit: περὶ αὐτοῦ πρώτος λόγος, de ratione Summo imperio prædita; quod quidem, inquiens, a nonnullis Maccabaicum inscriptum, eo quod certamina contineat Hebræorum quorundam, qui, ut in Maccabæorum libris prodigum est, pro divini Numi cultu fortiter propugnarunt.

num Christianus, post apostata Judæus, Scripturam anno Domini 134. in græcam linguam vertit. Ut autem versionem suam V. T. magis commendatam redderet, libros vndique conquisitos in vnum volumen cum authenticis coniunxisse, hacque ratione magnum auctoritatis pondus libris Apocryphis accessisse tradunt. Alii denique *Judeos* dispersos s. *Hellenistas* id ipsum fecisse arbitrantur. Vid. *Heiddeggeri* Enchiridion Bibl. p. 492. sq.

§. VI. Superest, vt videamus quoque, quantus librorum Apocryphorum valor, pretium & auctoritas in Ecclesia olim extiterit, atque etiamnum existat. Ex ipsa librorum denominatione iam constat, veterem, tam Judæorum, quam Christianorum, Ecclesiam Canonicis Scripturæ libris eos haud æquiparasse; & quidem merito. Nam *νεκρῶσις*, internis pariter ac externis, quæ ad librum Canonicum requiri solent ac debent, destituntur. Etiam si enim nonnulli ex iis fuerint *Hebraice* aut *Chaldaice* olim lecti, non tamen a Viris Prophetis, ὡς *πνευματὸς ἀγῶν* immediate *Προφητείας*, fuerunt exarati. Quidam ex illis, inquit *Chemnitius* Concil. Trid. P. 1. p. m. 91. post tempora Prophetarum tunc scripti sunt, cum populus Israel non amplius habebat Prophetas, quales Veteres fuerant: & scripti sunt ab illis, qui non habebant diuina testimonia, sicut Prophetæ de doctrinæ suæ certitudine & auctoritate. Quidam vero ex illis libris præferunt quidem nomina Prophetarum, sed non habuerunt certas testificationes, quod ab illis, quibus tribuuntur, essent conscripti. Confirmatur hoc inde, quod doctrinæ in omnibus veritas, sanctitas, maiestas diuinaque simplicitas filii, Scripturæ cum V. tum N. T. in omnibus consensus in his libris desideretur. B *Hettinger*. Præf. ad libros Apocryphos: Es finden sich mit der Wahrheit streitende Umstände, zum Theil affectiv te Künsteleien und hohe Worte menschlicher Geißheit, solche expressionen, die der Majestät des Geistes in seiner bekanten Schreib Art unanständig. Exempla huiusmodi qui desiderat, adeat *Heiddeggeri* Enchiridion Biblicum, & in primis *Rainoldi* censuram librorum Apocryphorum. Potiora suo nos loco notabimus, singulos libros

bros ſpeciatiim tractaturi. At vero in *libris ſacris eſt*, vt Augu-  
 ſtinus ad Hieronymum ſcribens recte docet, *nullum, ne officio-  
 ſum quidem, mendacium admittendum.* Proinde libri Apocry-  
 phi in N. T. a Chriſto & Apoſtoliſ ad *probandum aliquod fidei  
 dogma* non allegantur. Allegant quidem Pontificii loca quor-  
 dam N. T. quæ ex libris Apocryphis deſumpta eſſe dicunt. Sed  
 quum eadem in libris V. T. vere Canonicis reperias, vel *κατὰ  
 πρῶτον*, vel *κατὰ τὴν διόνοιαν*, ad eosdem reſpici, vnde & auctores  
 librorum Apocryphorum ea hauserint, nos contra adfirmamus.  
 Et ſi conſeſſerimus etiam, reſpici a Scriptoribus N. T. *θεοπνεύ-  
 σους* interdum ad hunc illumue librum Apocryphum, eſt tamen  
 pro probanda illius auctoritate canonica hæc nondum ſuffici-  
 ens argumentatio. Nam, quod bene obſeruandum eſt, liber V.  
 T. ſi ſit canonicus, allegari in N. T. debet *ad probandum aliquod fi-  
 dei dogma.* Deſtituntur denique Eccleſiæ teſtimonio. Neque  
 enim ab Eccleſia Veteri Iſraelitica, neque a primæua Eccleſia  
 Chriſtiana pro *θεοπνεύσους* agniti fuerunt, aut canonicam apud  
 illam auctoritatem obtinuere. *Joſephus* contra Appionem Lib.  
 I. enumerat XXII libros, quos omnes a Prophetis ſcriptos dicit,  
 atque tot eſſe, quibus merito fides habeatur. *Qui enim*, inquit,  
*poſt Moſen ſcripſerunt Prophetæ uſque ad Artaxerxis imperium,*  
*ſui temporis res ſcripſere libris XIII. Reliqui IV libri laudes Dei*  
*& humane vite præcepta continent. Ab Artaxerxe vero ad noſtra*  
*tempora ſcripta quidem ſunt ſingula, ſed non eadem, quæ ſuperio-  
 ribus, fides adhibetur, propterea, quod non fuit vatum certa illa*  
*ſucceſſio.* Et hanc ob cauſiam libri Apocryphi dicti ſunt *ἀνανόη-  
 ται.* B. *Auguſtinus* quidem de Doctrina Chriſtiana libr. II. c. VIII.  
 & C. D. libr. XVIII. c. XXXVI. hos libros *Canonicos* adpellat.  
 Enimvero non in *propria & principali* ſignificatione id accipi  
 poteſt ac debet, ſed *generaliori & minus propria.* Vnde Gerhar-  
 dus LL. Theol. Tom. I. c. I. p. m. 3. *Canonicus*, ait, *κατὰ τὴν ſc. Ἐ-  
 χhabito reſpectu ad claſſem alteram ἀνανόητων, qui plane ſunt re-  
 iectiui, cum contra hi ſententias aliquas e Canonicis deſcriptas Ἐ-  
 hiſtorias ad Eccleſiam Dei pertinentes contineant ac in Eccleſiæ  
 conuentu legi conſueuerint. Huc pertinet locus Caietani hiſt. V.*  
*libri 2. in eccleſia legitur in hunc modum, B 2. in hunc modum T. in*

*T. in fine. Ne turberis nouitie, si alicubi reperies libros istos inter Canonicos supputari, vel in sacris Conciliis vel in sacris doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba conciliorum, quam doctorum, & iuxta eius sententiam libri isti, & si qui alii in Canone Biblicæ similes non sunt Canonici, id est, regulares ad firmandam ea quæ sunt fidei: possunt tamen dici Canonici, i. e. regulares ad edificationem fidelium, utpote in Canone Bibliae ad hoc recepti & auctorisati. Vid. quoque Rainoldi censura librorum Apocryphorum part. I. prælect. 27. vbi sententia Augustini, ipsius inter alia verbis, quibus ad Hieronymum scribens vtitur, & a nobis supra citata sunt, refutata, subiungit Rainoldus: fefellerat nimirum ea ratio Patres hos (quorum xi nominauerat prælect. 26. Clementem, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Carthagenense Concilium III. Innocentium, Gelasium, Cassiodorum, Isidorum, Concilium Toletanum, Rabbanum Maurum) quod in Ecclesiis tum hi libri legerentur. Non enim propterea Patres hos libros legerunt, quod sacros putarunt, sed utiles tantum & commodos esse existimabant. Hoc Hieronymus testetur (præfat. in libr. Salomon.) antiquior Augustino, qui sic inquit, librum Judith, Tobie & c. legit quidem Ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit, & Rufinus Hieronymo  $\sigma\upsilon\gamma\gamma\epsilon\omicron\nu$  (in exposit. Symb. inter opera Cypriani) qui non solum hoc ipse affirmat, sed & asseuerat, Patres in ea fuisse sententia, ut in Ecclesia legi voluerint, non tamen sic præferri, ut dogmata inde confirmarentur. Insigniuntur quoque  $\alpha\gamma\iota\omicron\gamma\epsilon\alpha\Phi\epsilon\alpha$  nonnunquam titulo, non quod pari auctoritate gauderent cum iis, quæ dicuntur in Bibl. S.  $\alpha\gamma\iota\omicron\gamma\epsilon\alpha\Phi\epsilon\alpha$   $\nu\alpha\iota$   $\epsilon\zeta\omicron\chi\eta$ , sed relate tantum, respectu scriptorum profanorum, prorsus spuriorum, inutilium &  $\alpha\pi\omicron\beta\lambda\eta\tau\omega\nu$ , reiectaneorum. Vid. de his omnibus Riveti Isagog. ad Script. S. c. VII. Gerhard. Confess. Cathol. libr. II. c. I. Spanheimii Syntagma disput. Korbhold de Canone, Heideg. Enchir. Bibl. p. 487. sqq.*

*§. VII. Ex quibus itaque quum pateat, auctoritatem librorum Apocryphorum non esse canonicam; haut tamen exiguum in Ecclesia eam fuisse, non minus ex iam dictis constat, & ex dicendis adhuc magis elucebit. Tanta quippe auctoritate, ceu modo audiuius, olim in Ecclesia pollebant, ut publi-*



ce legerentur, non quidem ad probanda fidei dogmata, sed ad plebis, ut loquitur Hieronymus præfat. ad Prouerb. edificationem; unde dicti etiam sunt *Ecclesiastici*. Atque lectio eorum hodie non minus commendanda est, & commendatur etiam illorum enim, si non omnium, at plerorumque, non minorem auctoritatem esse ac quorumlibet aliorum scriptorum humanorum, optime iudicat D. Jo. Albertus Fabricius in dedicatione editionis suæ Græco-Latinæ libr. Apocryph. *Quin plerique, inquit, a sapientissimis haud dubie, & in Mosis Prophetarumque lectione probe subactis hominibus sint litterarum monumentis consignati: quid queso SAPIENTIÆ libro elegantius, quid ECCLESIASTICO ad mores formandos utilius cogitari potest? TOBIÆ vero historia quam salubria præcepta, quam iucunde, & suaviter instillet lectoribus? ut verissime Bullingerus dixisse videatur, in libro illo longe felicius, quam a quouis, vel Aristotele, vel Xenophonte, oeconomiam tradi. Porro JUDITHA quam grauius, quam præclare docet, minime licitum esse homini certos fiducia suæ limites signatæque auxilio diuino temporis articulum statuere, sed patienti animo expectandam esse horam salutis, qua Domino opem adstrictis ferre visum fuerit. Hæc de libris Apocryphis generatim. Nunc de singulis speciatim, eo, quem plerique codices exhibent, ordine.*

## CAP. II.

## CONSPECTUS.

**D**E libro *Esdæ*, §. I. *Tobia*, §. II. *Judith*, §. III. *Esther*, §. IV. *Sapientie*, §. V. *Ecclesiastici*, §. VI. *Baruch*, §. VII. *de Epistola Jeremie*, §. VIII. *Hymno trium puerorum*, §. IX. *Historia Susanna*, §. X. *Beli & Draconis*, §. XI. *de ordine librorum Maccabeorum*, §. XII. *de voce Maccabeorum & Asmonæorum*, §. XIII. *de primo libro Maccabeorum*, §. XIV. *secundo*, §. XV. *tertio*, §. XVI. *de Oratione Manassæ*, §. XVII. quibus subiungitur *Epilogus*. §. XVIII.

## §. I.

**P**rimus igitur in ordine librorum Apocryphorum est *liber Esdæ*; in latina veteri versione *tertius* dictus, quia *Nehemias*

*hemia liber nonnullis est secundus Esdrae. Vid. Euseb. H. E. lib. VI. c. 25. Isidorus Hispalensis VI. 2 orig. vocat librum secundum, libros Esdrae ac Nehemiae canonicos pro vno computans; sicuti & apud Hebraeos hi duo libri in vnum volumen compinguntur. Athanasio autem in Synopsi & in graecis bibliorum editionibus est liber Esdrae primus, quoniam, notante Rainoldo in censura librorum Apocryphorum tom. I. praelect. 27. historiam paulo altius atque ille liber canonicus Esdrae repetit. Confarcinatus autem videtur ex libris Chroniconum, Esdrae & Nehemiae. Esdrae quidem nomen praefixum gerit, non quod ille auctor sit, sed quod magna huius libri pars de Esdra agat. Et lectus licet sit a Clemente Alexandrino, Origine, Cypriano aliisque, sub Esdrae nomine allegatus, tamen nec ipsi Pontificii hunc librum pro Canonico agnoscunt, ut & librum IV. qui latine tantum exstat. Vid. c. I. §. II. In his autem libris duo, inquit Junius, desideramus, n.p. Auctoris & librarium fidem. Nam multa ab auctore contra librorum Canonicorum veritatem audacter immutata, multa imperite ab his praeter auctoris mentem corrupta sunt. Sic e.g. cap. I. 9. recensentur vituli septingenti; sed 2 Par. XXXV, 9. quingenti. Pariter cap. II, 13. recensio pugnat cum Esra I. Recensentur enim pelues aureae mille, at Esr. I, 9. triginta; it. patinae argenteae bis mille, sed Esra I, 10. tantum quadringentae & decem. c. I, 28. dicit Auctor, regem Josiam, praelium cum rege Aegypti initurum, non attendisse verba Jeremiae ex ore Domini. Aliter haec narrantur 2 Par. XXXV, 21. Nec minus pugnare videntur cum libris Esrae & Nehemiae, quae leguntur cap. IV, 43. Nam non auctoritas regis Darii, sed prophetia Domini per Prophetas animabat Zorobabelem ad aedificandam Hierosolymam. vid. Esr. V, 1, 2. & Neh. I, II. Magna praeterea observatur corruptio in nominibus propriis cap. V. Et quando eod. hoc cap. V, 5. dicitur Joiakim <sup>וְיֹאכִיָּם</sup>, filius Zorobabelis, pugnat cum Neh. XII, 10. ubi Joiakim est filius Johoschuae. Cetera nunc silentio praeterimus, inprimis confusum, quo hic liber scriptus est, ordinem quod attinet, qui lectori, cum libris Esdrae & Nehemiae hunc librum diligen-*

ligenter collaturo, facile patebit. Pluribus vid. *Rainoldus* libr. cit. Tom. I. prælect. 28. sqq. Ex *hebraico* liber Efdrà III. translatus videtur *Jo. Morino* p. 528. Exercit. bibl. quod vero aliis non probatur. In Bibliis Polyglottis legitur non tantum *Græce & Latine*, sed etiam *Syriace*. *Germanice* hunc & IV. libr. noluit transferre *Lutherus*, vid. ipsius præfat. in Baruch. Quæ enim in bibliis germanicis hodie occurrit versio libri III. & IV. Efdrà, vt & III. Maccab. *Dan. Cramerum* auctorem habet.

§. II. Sequitur liber *Tobiæ*. Quærimus, qua lingua sit hic liber consignatus. Non *Hebraice* primitus fuisse scriptum, est extra omne controuersia telum positum, adeo vt vel ipsi Pontificii hoc nobis largiantur. *Origenes*: *De Tobia*, inquit, nos oportebat scire, quod *Hebræi Tobia non utantur, nec Iudith, nec etiam scripta illa vel inter Apocrypha Hebraice habent, sicut ab ipsismet discendo cognouimus*. Existat quidem duplex *Hebraica* *Tobiæ* editio; sed altera a *Munstero* cum versione & annotationibus edita *Basileæ* Anno 1542. a *Judæis Constantinopolitanis* ei suppeditata; altera vero eodem anno *Hnæ* a *Fagio* publici iuris facta, iuxta editionem *Constantinopoli* prius vulgatam, additis punctis vocalibus & versione sententiisque *Bensiræ* moralibus subiectis. Vid. *Hossinger*. thes. phil. libr. II. c. II. Sect. I. p. 520. & *Fabricius* in edit. libror. Apocryph. Græco-Lat. p. 3. *Chaldaice* autem scriptum esse *Tobiam*, Pontificii quidem affirmant, nos contra negamus. Nam cum *Celeberr. Fabricio* l. c. existimamus, id præteriturum neutiquam fuisse *Origenem* loco supra citato, si vel ipsi, vel *Judæis*, quos consuluisse se ait, aliqua *Chaldaici* *Tobiæ* noticia existisset. Etenim si canonicus esset liber, quod itidem volunt Pontificii, & *Chaldaice* scriptus, providentiam diuinam textum authenticum interire permissuram fuisse, quis ipsis credet? Ac ante *Hieronimum* *Chaldaicæ* editionis mentionem fecit nemo, Vnde longe sit verisimilius, *Tobiæ* librum *Græce* fuisse exaratum. Pontificii, vt modo diximus, pro Canonico hunc librum quidem agnoscunt; sed non fuisse a *Judæis* in Canonem

rece-

receptum, ipsimet negare non possunt. Vid. *Huet.* demonstr. Euang. prop. IV. pag. 360. Quin immo haut ita diu ante Hieronymi tempora ne quidem inter Apocrypha Judæorum eisdem locus fuit. Non fuisse a Prophetam scriptorem, a Spiritu S. immediate actum, arguunt inter alia varii, qui in hoc libello deprehenduntur, errores. Primo enim c. V, 4. II. sq. c. VII, 3. Angelus *Raphael* inducitur, qui nomen & genus suum ita profitetur, ut dicat se esse *ex filiis Israel, Azariam filium Ananie, ex tribu Nephtalim, ex captivitate Nineue.* Jam vero Angeli sunt *à Judois, mentiri nesci;* nec in Canonica Scriptura ullibi Angelus falsa dixisse deprehenditur, licet aliquando vera occultauerit. Et putant eruditi, personati illius Angeli nomen *Raphael, q. d. medicus Dei,* it. nomen Diaboli *Afmodeus, q. d. vastator,* s. *Ἀφροδύων, i. e. ἀποδύων* Apoc. IX. 11. Talmudicas redolere traditiones. Secundo non satis pia, sed magica potius nonnullis videtur medicina ab Angelo commendata cap. VI, 8. sqq. quum Christus Matth. XVII, 21. genus aliquod demoniorum non profligari nisi precibus ac ieiuniis doceat. Tertio idem Angelus c. XII, 12. 15. se vnum ex VII. illis Angelis, qui adstant ante Dominum & orationes piorum Deo offerant, profitetur; ast preces aliorum Deo offerre, est pars muneris Mediatoris, quod soli Filio competit, nisi latiori hoc sensu interpretari velimus. Angelos enim orare pro nobis, largiuntur B. Confessores nostri Apol. A. C. p. 224. vide etiam Chemnit. LL. Theol. part. I. p. m. 335. Quod vero Angelus dicit, se vnum esse ex VII. illis Angelis, qui ante Dominum adstant, id aliis Judæorum sapere videtur fabulam. Ex VII. enim illis singulos singulis Angelis dies tribuunt, quibus administrationi præsent: diem solis *Raphaeli,* diem Lunæ *Gabrieli,* diem Martis *Sammaeli,* diem Mercurii *Michaeli,* diem Jouis *Hidkieli,* diem Veneris *Hasaeli,* ac diem denique Sabbati *Kepharieli.* Quarto Tobias moribundus c. XIV, 8. loquitur de subuersione Nineue, quam imminere ei adseuerat, sicuti prædixerit Propheta *Jona.* Ast *Nabum* potius intelligendus est, qui de hac urbis Nineue destructione vaticinatus est, postquam

Ni-

Nineuite ad priora sua flagitia redierant. Sed de his & aliis eiusmodi nauis videtur *Rainoldi* censuram libr. Apocryp. tom. 1. prælect. 45. 46. *Ambrosius* quidem in libro de Tobia hunc librum *propheticum*, & *Tobiam Prophetam* adpellat, sed sensu laxiori & minus proprio hoc accipiendum esse, quis non videt? Ipse etiam *IV Esdræ librum* in libro de *bono mortis* c. 10. allegat nomine *Scripturæ*, quem tamen inter Apocrypha ipsi Pontificii recensent. Denique nec a veteri Judaica, quod ipsi Pontificii fateri coguntur, nec a veteri Apostolica Ecclesia in canonem receptus fuit. Quod vero *Huetius* demonstr. Euang. prop. IV. p. 363. dicat, *Esdræ*, quum Canonem ob signauerit, non omnes gentis suæ historias & veteris memoriæ monumenta, a popularibus suis scripta, colligere potuisse, quia eo tempore maximis rerum difficultatibus premebatur Israelitica gens, quamuis libertati & patriæ reddita, futilis est & leuis admodum exceptio. Non enim erat tanta copia librorum, ut vnus alteriusue obliuisci *Esdras* facile potuisset. *Josephus* contra *Appionem* scribens libr. I. §. *μωυσαϊδες*, inquit, *βιβλιων εἰς τὴν παρ' ἡμῶν*. Quid? quod *Esdras*, siquidem is collector & ob signator Canonis statuendus sit, id non fecerit citra specialissimam Spiritus S. adfidentiam. Jam vero obliuionis arguere velle Spiritum S. impium foret, immo blasphemum. Provoquant quidem ad *Concilium III. Carthaginense* (cui interfuisse dicitur *Augustinus*) ad *Gelasium*, *Cassiodorum*, *Isidorum* & *Rabanum Maurum*, qui omnes *Tobiam* inter Canonicos libros recensent. Sed ad hanc obiectionem iam respondimus cap. I. §. V. Ergo, inquires, liber *Tobiæ* magni haud faciendus est? Respondemus, id non sequi. Quanquam enim libris Canonicis non est æqui parandus, est nihilo tamen minus in magno pretio habendus, quum sit vtilissimus, & ædificationem non parum promouens. Legi hanc in rem meretur præfatio *Lutheri* in hunc librum, qua Vir beatus pulcre admodum huius libri vsum demonstrat, sedulamque eius commendat lectionem. Hinc a Patribus secundi sæculi hic liber legi & allegari, commendarique cœpit; mox prælegi in Ecclesiis, inde Bibliorum volumini adiici, Latine cum ceteris libris biblicis conuerti, Ecclesiasticus postea adpellari, & denique Canonici (la-  

C

tione

tiore tamen significato) nomine celebrari, ut obseruat *Fabricius* libr. cit. p. 18. Et hæc etiam causa est, quod præter memoratas iam linguas, *Hebraicam* nimirum & *Latinam*, conuersus sit in *Syriacam*, quæ legitur in Bibliis Polyglottis, *Aethiopicam* (vid. *Ludolfi* Hist. Aeth. lib. III. c. IV.) *Germanicam* aliasque. *Arabicum* quoque *MSS.* exstare in locupletissima Bodleiana Bibliotheca ex *Joh. Gregorio* c. 3. obseruat. notat *Fabricius* Biblioth. Græc. lib. III. p. 344. Obseruandum autem est, quod B. *Lutherus* in versione sua Latinum interpretem secutus magis fuerit, quam textum Græcum. Hinc quædam in Germanica versione inuenis, quæ frustra quæris in textu Græco; & versa vice. Superest quæstio, verane sit historia, quæ hoc in libro narratur, nec ne? *Drama* sacrum potius esse, quam veram historiam nonnulli censent. Ita inter alios *Fabricius* edit. libr. Apocryph. Græco-Latin. p. 4. *Longe nobis sit verifimilius, Tobiae librum Græce effectum fuisse a quodam Hellenista post Hierosolyman a Romanis euersam annum circiter a N. C. centesimum. Sane ante illud tempus a nemine mentionem Tobiae factam reperimus, & quis credat, Iosephum taciturnum fuisse pietatis domesticæ tam illustria exempla, si liber Tobiae eo, quo conscriptus fingitur, tempore publicatus fuisset.* Etiam B. *Lutherus* in eadem est sententia, vid. ipsius præfat. in h. l. *Calonius* vero Bibl. illustr. præf. in h. l. non merum vult esse poemata s. figmentum sacrum, licet nonnulla in hoc libro occurrant Chronologiæ & veritati historiciæ repugnantia, quia in historicis humano studio scriptis talia ἀμαρτήματα frequentia sint, non tamen omnem historiam tollant; cui & nos ad stipulamur. Alii in dubio id relinquunt. Sed hæc de libro Tobiae.

§. III. Pergimus ad librum *Judith*. Non *Hebraea* primitus lingua scriptum esse, patet ex testimonio *Origenis* supra §. II. a nobis iam allegato. Ad *Hebraicam* enim huius libri editionem, quæ hodie exstat, quod attinet, a recentiori manu Iudæi cuiusdam prouenisse, iudicat *Pfeifferus* Crit. S. cap. XIV. quæst. III. p. 355. sqq. *Chaldeo* vero sermone scriptum exstitisse librum *Judith*, testatur quidem *Hieronymus*; sed *Chaldaicum* illud exemplar, si quod exstitit (ante *Hieronymum* enim nemo eius meminit,

nit, nec Origenes id fuisset taciturus, si ipsi, aut Judæis, quos consuluit, notum fuisset) non aliter ac versio Græci textus considerari potest, uti *Syriaca*, quæ in Bibliis Polyglottis legitur, & *Aegyptica*, vid. *Ludolfi* Hist. Aeth. libr. III. c. 4. Multi errores ac contradictiones Chronologicæ in hoc libello occurrunt, adeo ut ipse *Bellarminus* libr. I. de V. D. c. 12. fateri cogatur, difficillimam eam esse, quæ ex temporum ratione petatur aduersus hunc librum, obiectionem. Ut autem vnum atque alterum errorem indicemus, c. IX. 2. facinus Simeonis & Leui, a Spiritu S. Gen. XLIX. 5. 6. 7. damnatum, probat Juditha, precatione sua Deum ut auctorem huius facinoris alloquens. Parum etiam pium est, quod auctor c. IX. X. XI. laudet lenocinium Judithæ, dum ornasse dicitur eo cultu corporis, quo Holofernem impura libidine inflammaret, ut ob eam ipsam causam illum occideret. Et quum Juditha de illis vultus sui illecebris & sandaliis suis, quibus rapuerit Holofernem, maximopere gloriatur c. XIII. & XVI. nec hoc sanctitati eius conuenire, notat *Calou.* Bibl. illustr. ad cap. X, 10. Pluribus de his consule, si placet, *Rainoldum* censur. libr. Apocryph. tom. I. præl. 65. 74. Destituitur hinc liber Judith testimonio Ecclesiæ Judaicæ, quod ipsi Pontificii non inficiantur, & testantur quoque id ipsum Patres. vid. *August.* libr. XVIII. cap. 26. de C. D. *Hieronym.* epist. III. quæ est præfatio in Judith. Prouocant quidem Pontificii ad canonem quendam Concilii *Niceni* & quorundam Patrum testimonia, ex quibus Canonicam huius libri auctoritatem volunt stabilitam. Enim vero nondum probatum satis est, talem Canonem Concilii *Niceni* existare, aut, si existerit, esse genuinum. Vid. *Rainold.* l. c. tom. I. præl. XVI. Et Patrum quorundam testimonia, si accurate inspiciantur, non hoc volunt, quod probare ex iis conantur Pontificii. Vid. *Gerhard.* confess. Cathol. libr. II. c. I. f. m. 360. Quod si etiam Concilium *Nicenum* & Patres quidam librum Judith inter vere Canonicos Scripturæ libros computassent, non tamen sufficiens pro probanda eius auctoritate Canonica inde conficitur probatio. Nam, quod bene obseruandum est, neque concilium, aliquot sæculis a temporibus V. T. re-

motum, solum, neque Ecclesia idoneum testimonium de auctoritate libri V. T. perhibere potest, ita ut ex libro non Canonico Canonicum facere possit. Ut paucis etiam mentionem faciamus temporis, quo res in libro Judith memoratae acciderint, sciendum est, quod ante captiuitatem alii, alii post captiuitatem populi Iudaici gestas fuisse opinentur. Sed quum utraque sententia inextricabilibus laborat difficultatibus, (de quibus vid. *Rainold.* l. c.) existimant alii, res in libro Judith memoratas non veram historiam esse, sed *drama* aliquod s. *tragediam* sacrum, a pio quodam homine effectum, quo eleganter & iucunde voluerit docere, quomodo Deus fideles suos Israelitas subinde adiuuare, & ex praesentissimis periculis eripere possit & soleat. Quae sententia perplacuit ipsi *Luthero* nostro in praefat. ad h. l. qui egregie fauere ei putat nomina in libro Judith occurrentia; *Judith* enim denotare *Judeam*, seu *populum Iudaicum*, h. e. *populum Dei: Holofernem* *ducem profanum*, *Bethuliam virginem*. Similem ferme in modum *Grotius* praefat. in hunc locum: יהודית, inquit, esse *Judeam gentem*, nemo negauerit. *Bethulia* בית-אל-יהוה est *templum*. *Gladius inde egrediens sunt preces sanctarum*. *Nabuchodonosor* Hebraeis saepe *Diabolum* significat, & *Assyria* *fastum*, ut notatum Hieronymo. *Diaboli instrumentum* *Antiochus*, qui hic tecto nomine *Holofernes*, (i. e. נחש הלהפך, *lictor serpentis*, Chaldaice, i. e. ut iam diximus, *minister Diaboli*) *Judeam formosam* quidem (nam propterea apud Danielem צבי dicitur) sed *viduam*, i. e. *ab omni auxilio desertam*, subigere volebat. Sperabant pii, fore, ut is poenas daret, quemadmodum dedit *Joachim* in Graeco, aut, ut in Latino est, *Eleakim*, qui hic dicitur fuisse summus Sacerdos, *Deum surrecturum* significat. Ea spes homines coniungit, quod opus Sacerdotis maximi. Cetera sunt ἐπιστοδωδὴ, ornamenti causa addita, qualia in parabolis multa. Hec ille. Non parum hanc sententiam roborare videtur, quod *Josephus* nullam libri Judith fecerit mentionem. Nam, ut *Rainold.* tom. I. praefat. 65. p. 728. ait: *Josephum*, praekonem tantum suae gentis, qui omnes eius antiquitates explicandas suscepit, atque adeo quasdam aliquando adfinxit in laudem & ad-  
mira.



mirationem suæ gentis, eam prætermisisse nullo modo est verisimile. Excipiunt quidem Pontificii, Iosephum non sine ratione prætermisisse hanc historiam, quum apud Hebræos in Canone non fuerit, Iosephum autem ea sola scribenda adsumisisse, quæ in Hebræo Canone habebantur. Ita *Sixtus Sen.* Biblioth. l. 8. hæref. II. Enim vero Iosephum non ea tantum commemorare, quæ scripta sunt in libris Hebræorum, vel vnicum, vt cetera omittamus, testimonium docere potest, quum lib. XI. c. 4. Ant. narrationem de custodibus corporis Darii & Esdræ III. ab ipso legimus relatam. Immo vero, vt *Origenes* loco supra §. II. memorato testatur, ne quidem inter Apocrypha Judæorum liber Judith inuentus fuit. Antiquissimus omnium, qui huius libri meminit, est *Clemens Romanus*, in epist. I. ad Corinth. Ceterum etiam si non sit liber Canonicus, dignus tamen omnino est, qui legatur, multum enim ædificationis legentibus suppedabit.

§. IV. Librum Judith excipiunt *Addimenta Estheris*, VII. capitibus comprehensa. Leguntur non *Hebraica*, sed *Grecæ* lingua; & composita censet *Grotius* præfat. a profelytis Hellenistis *πρωτόεβραϊ*, & stilum oratoris exercentibus. *Lyranus* auctorem facit *Iosephum*. *Huetius* demonstr. Euang. prop. IV. p. 74. *LXX Seniores*. Sunt vero hæc *Addimenta Estheris* e variis hinc inde locis excerpta. *Sixtus Senens.* ipse pontificius cum *Hieronymo* habet ea pro *laceris appendicibus* & *pannosis additamentis*, ab incognito quodam auctore temere adpositis & utcumque insuis. Putat deprompta esse ex variis historicis, præcipue ex *Iosepho*. Recensentur autem multa in iis, quæ veritati & libris Canonicis aduersantur. Conciliet, inquit *Heidegger*. Enchirid. bibl. p. 586. seq. qui sine manifesta vi potest, cum libro Canonico Estheris, quæ hic dicuntur cap. I, 1. *de marito Estheris Artaxerxe*, quem historia *S. Abasueros* vocat, & exotica *Darium Hystaspis* fuisse arguit: de *Mardocheo*, qui cap. I, 3. describitur tanquam iam anno secundo regis Artaxerxis in eius aula celebris & inclytus; cum in Libro Estheris cap. I. inducatur tanquam priuatus, obscurus, nec in aula regis ante nuptias neptis suæ noscibilis: de *anno detectarum regi a Mardocheo insidiarum*, quem scriptor hic Apocryphus c. I, 1. cap. II, 2, &c. secundum Artaxerxis, Canonicus contra c. II, 16.

septimum Ahasueros facit: de *præmio a rege Mar docheo exhibito*, quod Canonicus c. VI, 3. diu dilatum, Apocryphus contra c. II, 5. e vestigio ei collatum innuit - *de causa odii Hammanis aduersus Mar docheum*, quam Canonicus liber c. III, 5. negat ipsi adorationem, Apocryphus contra c. II, 6. interfectos Eunuchos facit: de *die, exilio Iudeorum destinato*, quem Canonicus c. III, 13. c. VIII, 12. decimum tertium Adar, Apocryphus c. III. 6. decimum quartum Adar figit; &c. Suo hinc merito reiecta sunt a *Melitone* apud Euseb. H. E. libr. IV. c. 26, ab *Athanasio* in Synopsi, *Gregorio Nazianzeno* carm. de Script. aliisque. Sunt inter ipsos Pontificios, qui Additamenta extra canonem ponunt, vt *Dionysius Carthusianus*, *Hugo Cardinalis*, *Nicolaus Lyranus*, *Caietanus* &c. vid. *Raimold. Cms. libr. Apocr. tom. II. prælect. 148 & 226.*

§. V. Progredimur ad librum, qui vulgo inscribitur *Sapientia Salomonis*, quique *Gerharo* iudice Confess. cathol. Libr. II. c. I. f. m. 360. b. vna cum *Ecclesiastico* reliquis Apocryphis præstat, & *Hunnio* censente, inter omnes palmam obtinet, \* *Græce*, non *Hebraice* fuit conscriptus. Id inter alios testatur *Hieronymus*, quando in præf. ad librum Salomonis ait: *Sapientia apud Hebræos nusquam est. Quin & ipse stilus Græcam eloquentiam redolet.* Salomoni quidem nonnulli ex Patribus eum tribuunt, quorum sententiam ambabus, vt aiunt, manibus amplexantur Pontificii, vt facilius huius libri Canonicam probent auctoritatem. Ast auctorem non esse Salomonem multa suadent. Primo namque Patrum testimoniis opponi possunt testimonia Patrum contraria. *Augustinus*, qui ex vulgari aliquoties sententia Sapientie librum sub Salomonis nomine allegat, de libro *Sapientie & Siracidis* ita scribit libr. XVII. c. XX. de C. D. *Alii duo quorum vnus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloqui nonnullam similitudinem, vt Salomonis dicantur, obtinuit*

con-

\* *παναρετο*; (quo titulo veteres insigniunt librum *Proverbiorum & Sapientiam Syracidis*) adpellatur ab *Epiphanio* in libr. de ponderib. & mens. f. 534. & ab *Athanasio* in synopsi f. 173. quoniam in hoc libro comprehendatur omnis virtus Sapientie Salomonis, quam *panareton* vocant. Mirum, quod *Valesius* in not. ad Euseb. lib. IV. H. E. c. 22. vt falso hic liber adscribatur Salomoni, sic *panareti* vocabulum falso viurpare adferat.

consuetudo. Non autem esse *ipsius*, non dubitant doctiores. Huic accinit *Hieronym.* in præf. ad libr. Salom. Pontificios quoque ἱεροσύνης non paucos recenset *Gerhardus* loco modo cit. Et vir e Pontificiis eruditissimus *Valesius* loco itidem citato, *Sapientiam* falso inscribi *Salomoni*, minime diffitetur. Secundo probatur inde, quod hic liber non sit *Hebraice*, vti supra ostendimus, sed *Græce* consignatus. Tertio ex eo id ipsum manifestum est, quod quædam in libro *Sapientiæ* dicantur, quæ a *Salomone* proficisci haud potuere, sed recentiore vti que scriptorem arguant, e. g. verba: ἑὲ Φανη Φορεῖν, πομπεύειν, ἄθλα, ἀγών &c. manifesto ad *Græcorum* alludunt certamina, longo post *Salomonem* tempore instituta. Item c. XV. dicuntur hostes populi Dei καταδυναστεύοντες, quod *Salomonis* tempori haud conuenit. *Iudæorum* namque inimici tum non dominabantur illis, sed *Iudæi* sub *Salomone* florentissimo potius gaudebant statu. vid. 1. Reg. IV, 20. 21. 24. 25. Ex quibus quum adparet, auctorem libri *Sapientiæ* non esse *Salomonem*; quæritur ergo, quisnam ille sit? Opus esse *Philonis*, multi ex veteribus crediderunt. Quum autem duos huius nominis celebret antiquitas, seniore alterum, genere quidem *Ethnicum Philosophum*, in *Iudæorum* vero scriptis versatissimum, qui vixit anno 160. ante N. C. alterum iuniorem, *Iudæum Alexandrinum*, qui tempore *Caii* floruit, quæstio iterum enata fuit, vtri sit hic liber adscribendus? Sunt quidem non tantum ex Pontificiis, sed *Reformatis* quoque & *Nostratibus*, qui auctorem faciunt *Philonem iuniorem*. Quæ vero causa hunc impulerit ad scribendum, ita enarrat *Rainoldus* cens. libr. Apocryph. tom. I. prælect. XXII. p. 179. seqq. Memineritis, inquit, *Philonem iuniorem* vixisse *Caii* temporibus, qui suam statuam coli voluit *Hierosolymis*. Quod, quam furiosa cupiditate *Caius* iste appetierit, ex *Suetonio* cognoscere potestis. Iste ergo, vt, quemadmodum *Rome* simulacro aureo ciconico colebatur, ita & *Hierosolymis* coleretur, misit ad *Iudæos*, iussitque statuam ipsius in templo *Salomonis* collocarent. *Iudæi* vero *Philonem Iudæum* disertissimum illum legatum miserunt, obsecrantes Imperatorem per eum, ne ipsorum templum ita profanaret, cui ille vehementer succensuit, & *Petronio* imperauit, vt

per

per fas & nefas statuam suam adorandam in templo collocaret. Videtis occasionem hanc tam apte ad argumentum libri Sapiencie accommodari, ut nihil accommodarius fingi potuerit. Atque eadem plane Claudio, qui Caligulae successit, cum illo communia fuere. Unde quæ de officio Principum copiose in libro Sapiencie differuntur, si non ad Caium, saltem ad successuros Principes accommodatissime referuntur. Inde illud: diligite iustitiam, qui iudicatis terram; & audite reges & intelligite, discite iudices finium terræ; Et quæ sequuntur in hac sententiam, ut conuersa oratione ad principes eos officii admoneat. Inde etiam fit, ut cap. 2. 3. 4. 5. de felici piorum exitu, de supplicio, quod manet impios, quasi ex professo ad solatium Iudeorum & terrorem tyrannorum multis agat. Et c. 13. & 14. commemoratur copiose de statu, idolis, eorum inuentione & cultu, ut plane nudum in serpa quærant, qui auctorem alium querunt quam Philonem. Quod vero ex argumento & materia totius libri, ex admonitione principum, consolatione fidelium, reprehensione idolorum constare possit, id etiam ex tractatione & forma orationis multo manifestius liquet, & e genere descriptionis. Is enim character est, ea forma dictionis, quæ Philonem illum redolet, de quo dictum & scriptum & decantatum est: ἡ φιλων πλετωνίζε, ἡ πλετων φιλωνίζε. &c. Idem sentit Lutherus noster præfat. in hunc librum. Ipse tamen Rainoldus prælect. 23. p. 188. nihilominus scribit, Philonem Iudæum auctorem esse libri Sapiencie, verisimile tantum videri, non posse vero demonstrari. Et eidem hunc librum tribuere, multas ob causas alii dubitant. Stilum namque Philonis Iudæi & auctoris Sapiencie discrepare plurimum, pleraque etiam ex eo libro depromisse scriptores quoad alios, Philone hoc vetustiores, neque inter eius scripta, quorum indicem Eusebius & Hieronymus concinnauerint, hunc librum recenserit, aiunt. Hinc Philoni Seniori adscribere malunt, qui, origine licet Ethnicus, Iudaicarum tamen rerum peritissimus fuit, utpote qui historiam de regibus Iudæorum litterarum reliquit monumentis. Etiam si vero hic liber ceteris Apocryphis palmam præripiat: obseruant tamen alii, quod doctrinæ quoad omnia veritate, diuina stili simplicitate, Sanctitate & Maiestate, ceu in-

ternis

ternis, quæ ad librum Canonicum requiruntur, *νεπιτηδεις* deficiuntur. *Hedinger* in præfat. libr. Apocryph. Gesehlet hat der Soribent 1) daß Er im Nahmen des Königes Salomo geschrieben, daher vielen Anlaß zum Irrthum gegeben. 2) Zu hohe künstliche Worte gebraucht, die zwar lieblich und schöne lauten, sonst aber nicht bibelmäßig sind. 3) Vom Ursprung des Bösen Dienstes zwar gelehrte und scheinbahre, doch keine allgemein geltende Gründe angeführt. c. 14. 15. von den Gespenstern so viel Wesens treibet c. 17. 3. sqq. so nicht zu glauben. (Sich auch 4) der *προπαιδείας, μεταψυχώσεως*, und ursprünglichen Reinigkeit der Seelen und dergleichen verdächtig macht. *Quæ* quidem & alia \* eiusmodi in libro Sapientiæ taxavit ante eum *Franciscus Turretinus*, Pastor olim apud Geneuenses in theologia sua elenctica, & *Heideggerus* Enchir. bibl. p. 514. ast commodam interpretationem hæc omnia pati, si constaret, librum hunc esse Salomonis, s. Propheticum & canonicum scriptum, cum *B. Gerardo* in Exeg. Loci de Script. §. 211. aliisque sentimus. Est vero liber Sapientiæ neque a Iudaica Ecclesia, quod ipse *Huetius* fatetur l. c. p. 418. (vide sis etiam *Hottingerum* thes. phil. libr. II. c. II. Sect. I. p. 516.) neque ab Ecclesia Apostolica pro Canonico scripto agnitus & declaratus, vid. *Rainold.* cens. libr. Apocr. tom. I. præf. 17. p. 145. Quod apud Ecclesiasticos Scriptores *Canonicus* nonnunquam adpellatur, significatione id latiori & minus proprio interpretandum est. vid. c. I. §. V. aut, vt *Hottingerus* l. c. iudicat, hinc fere fit, quod cum *Prouerbiis* confundatur, adeoque vnus liber sumatur pro alio. Ceterum vt elegantissimum, ita & vtilissimum scriptum est, ex quo magna sapientia elucet, cuius proinde lectio etiam atque etiam est commendanda. *Lutherus* præf. in hunc libr. eum commendat Principibus inprimis ac Regibus, qui tyrannorum more in subditos dominantur. Præter *Latinas* huius libri versiones existat

D

et-

\* Durissimum in hoc libro videtur id esse, quod c. III, 16. seqq. & c. IV, 3. seqq. de liberis ex illegitimo thoro natis legitur; vnde etiam *B. Spenerus* Confil. Theolog. Germ. vitimis part. I. cap. 2. artic. 2. sect. 6. p. 364. seq. hunc locum ceu primarium ferme testimonium adducit, cur hunc librum a Spiritu S. haud esse inspiratum credat.

iam Syriaca, Arabica in Bibliis Polyglottis, & Aegyptiaca, recensente Ludolfo Hist. Aeth. lib. III. c. 4. Chaldaice scriptum vidisse se refert R. Moses Nachmanides prol. comm. in Pentat. Noua quoque versio Germanica cum notis criticis & egregiis locis parallelis lucem hic vidit anno 1705.

§. VI. Ordo postulat, vt ad contemplationem libri *Sapientiae Iesu filii Sirach*, sive, vti vocant, *Ecclesiastici* festinemus. *Σοφία* vel *Sapientia* adpellatur hic liber in prologo incerti auctoris, & ab aliis cum additamento: *Sapientia Salomonis*; cuius vero denominationis non ab omnibus vna eademque datur ratio. Alii quidem ipsi *Salomoni* adscribere hunc librum voluerunt, sed absque omni veritatis fundamento; vterque enim *prologus* huic opinioni aperte contradicit. Alii, Pontificii in primis, *Sapientiam Salomonis* eum nuncupant, quod auctor *Salomonis* *ὁράδος* s. *assecta*, & veluti alter seculi sui exstiterit *Salomo*, nec pauca de *Salomonis* dictis deprompserit, sapientiaeque suae inferuerit. Vid. *prolog. incerti auctoris*. Alii *Siracidem* alio nomine *Salomonem* vocatum suspicantur. Sunt etiam, qui *Salomonem* libri huius auctorem dici volunt *de quadam similitudine*, vt loquitur *Augustinus* libr. II. doct. Christ. c. 8. Dicitur idem hic liber *Ecclesiasticus*, non ad imitationem *Ecclesiasticae* *Salomonis*, quod nonnulli putarunt, sed quod lectus fuerit in Ecclesia ad plebis aedificationem. Et hanc quidem ob causam ceteri libri Apocryphi dicti etiam sunt *Ecclesiastici*. vid. c. I. §. V. At hic liber ob praestantiam, qua reliquos antecellit, *ναὶ ἐξ ὅρων* nuncupatus est *Ecclesiasticus*. Unde vocatur etiam a veteribus *πενάγεται*, i. e. *omni virtute plenus*, s. *quia omnium virtutum est prompuiarium quoddam* & liber *γνώμολογ*, ex sententiis piis & neruosis conflat. Auctor huius libri est *Iesus filius Sirach* Hierosolymitanus. vid. Sir. L. 35. & *prolog. verumque*. Quis, qualis, quantusue hic fuerit, non adeo constat. Inter *LXX Seniores*, qui Biblia ex Hebraica conuerterunt in Graecam linguam, duo nomine *Iesu* in Aristae libro recensentur, quorum alterutrum esse *Iesum* nostrum nonnulli opinantur. Scripserat auctor Sapientiam suam lingua Hebraica, quemadmodum nepos ipse in prologo testat-

statur, quod vero exemplar Hebraicum hodie non amplius existat. Circumfertur quidem liber sub nomine *Ben-Siræ* a Judæis Constantinopolitanis editus, item *Ben-Siræ* sententiæ, a *Paulo Fagio* llnæ 1542. vulgatæ, nec non *questiones & problemata Hebraica* sub *Ben-Siræ* nomine. Sed ista omnia non esse nostri Siracidis fœtus, ceu nonnulli volunt, probant alii inde, quod non conveniant non tantum cum nostro, sed in multis etiam nostro aduersentur. Auctor versionis *Græcæ* est nepos illius, cuius librum ex Hebræo conuertit, eiusdem cum auo nominis. Et quidem transtulit librum sub *Ptolomæo Euergete I.* vel, ut alii volunt, *II.* huius nominis, vid. prolog. Fuit vero neque interpres Propheta, nam in prologo suo veniam petit, quod vim Hebraicorum verborum non semper fuerit adsequutus; neque auis ipsius s. auctor huius libri; siquidem a nepote diserte opponitur Legi & Prophetis, & ab iisdem contradistinguitur. Scribit enim, auum suum, postquam se plurimum dederit in lectionem Legis & Prophetarum, adductum esse & ipsum quoque, ut aliquid scriberet rerum, ad eruditionem & sapientiam pertinentium. Præterea observant eruditi, nec hunc librum carere nevīs & erroribus. *Laudamus quidem* (verba sunt *Rainoldi* cens. libr. Apocr. prælect. 75.) *eos* (Sapientia & Ecclesiastici) *libros tanquam vinum & vinum optimum, sed etiam quod habeant fecem, minus quidem fecis, quam Judith & Tobias, sed fecis aliquantum.* Errores potissimum in hoc libro tres notantur. *Primo* enim auctor c. XXIV, 8. 9. Sapientiam ita loquentem introducit: ὁ κτίσας με πατέρας αὐτῆς τὴν σκηνὴν μετὰ τὸ αἶψον, ἀπ' ἀρχῆς ἐκτίσέ με. Qua in re erroribus semina iecisse videtur, quæ in *Ario* detestamur; deceptus autem versione LXX interpretum, qui *Prou. VIII, 22.* pro כִּנְפִי, ἐκτίσάτο με, possedit me, verterunt: ἐκτίσας creavit. Excusari tamen hoc posse, existimat *Celeberr. Fabricius* edit Græco Lat. libr. Apocr. p. 364. nec magis id favere dogmati *Arianorum*, quam *Apostolum*, quando *Christum* vocavit πρῶτόγονον πάσης κτίσεως *Col. I. 15.* Quemadmodum enim πρῶτόγονος πάσης κτίσεως recte exponatur τεχθεὶς πρὸ πάσης κτίσεως, ita in versione *Proverborum* locisque *Siracidis* c. I, 4. 9.

c. XXIV, 8. 9. *κτίσεν* non significare *creare*, ex nihilo *producere*, sed *gignere* & *procreare*. Ita Melitonem scripisse librum *περὶ κτίσεως γενεσέως χριστοῦ*, quia antiqui Patres, qui ante exortam Arianorum hæresin scripserunt, per vocabulum *κτίσεως* non eam solum creationem, quæ ex nihilo fit, sed omne genus productionis intellexerint, ipsamque adeo generationem Verbi, observante *Valesio* ad Euseb. *Secundo* cap. XLVI, v. vlt. existimat auctor, ipsum verum *Samuelem* per pythonissam euocatum Saulem regem esse adloquutum. *Tertio* denique c. XLVIII, 11. verba Malachix c. IV, 5. 6. interpretatur de Elia ipso ante aduentum Messix reuersuro, contra interpretationem Luc. I, 17. Marc. IX, 11. 12. 13. Vide, si placet, *Rainoldum* cens. libr. Apocr. tom I. prælect. 75. seqq. Hinc a Judaica Ecclesia pro Canonico agnitus non fuit; inter Apocryphos enim eum numerat. Vid. *Hottinger*. thes. Phil. lib. II. c. II. Sect. I. p. 517. quod & ipse *Huetius* non ita inficias demonstr. Euang. prop. IV. p. 425. Quod autem a primitiua Ecclesia in numerum Canonicorum receptus fuerit, dicunt quidem Pontifici, sed idoneis argumentis haud probant. Probare id quidem conantur loco quodam *Augustini*, qui libr. II. c. 8. doct. Christ. ita scribit. *Illi duo libri, vnus, qui SAPIENTIA & alius qui ECCLESIASTICVS inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt.* Verum enim vero non ideo inter propheticos libros numerandos esse *Sapientiam* & *Ecclesiasticum*, quoniam in auctoritatem meruerint ab Ecclesia recipi, fusius, nec minus erudite, ostendit sæpe laudatus *Fabricius* in edit. Græco-Lat. p. 344. sqq. Vt pauca cum lectore ex eo communicemus, ostendere debet *Ecclesia*, inquit *Vir Clarissimus*, *libros diuinos, non facere; non auctoritatem conciliare libris, sed de summa, quam habent, auctoritate testari. Quos itaque libros reperit a viris diuinis, qui diuina vita, miraculis & certis futurorum prædictionibus doctrina suæ fidem fecerunt, conscriptos Ecclesieque traditos, illos solos a talibus certissime profectos fuisse testari potest. Reperit vero Ecclesia non hodierna, non Augustini coæua, verum proxima atque equalis scriptorum *Ἰσοπύσου* etati, quæ testimonium illud suum in subsequa tempora propagauit. Dubium igitur est, incertumque*



bodiernæ Ecclesiæ testimonium, nisi respondeat testimonio Ecclesiæ, temporibus scriptorum diuinorum proximæ, quæ quoad libros, de quibus nunc agimus, haud dubie est alia, quam Ecclesiæ V. T. s. Judaica. Quos illa pro Prophetiis habuit, eos, nec alios, pro Canonici V. T. Scripturis habere possumus. Non ac si Ecclesiæ Judaica auctor sit tantæ auctoritatis, sed testis infallibilis. Cui nos testimonio fidem habentes, libros, quos illa pro diuinis agnouit, assumimus, legimus, verba vitæ agnoscimus, nec amplius propter solum Ecclesiæ testimonium, sed propter se ipsam Scripturæ credimus, perinde uti Samaritanæ Christo Joh. IV, 41. Ceterum manet hoc, quod liber utilissimus & dignus omnino sit, qui sedula teratur lectione. Saluberima quippe monita, uti omnibus hominum statibus, ita economico præsertim subministrat; cui ideo B. Lutherus in præfat. in h. l. eum etiam atque etiam vult commendatum. Et Seniores ex Judæis id cogitantes, quod multa in hoc libro sint utilia, in eius lectionem bonas horas consumere haud dubitarunt; non quidem ad firmandam fidem, ut loquuntur, sed ad formandos mores, Immo ne ipsos quidem ei vacare puidit Talmudistas, aliquoties Siracidis verba allegantes, vid. Buxtorff. Lex. Talm. f. 1730. Honorifico etiam ἀγιώγῳ τῷ πρώτῳ titulo eum insignierunt, non quasi pari auctoritatis gradu ambularet cum iis, quæ κατ' ἐξοχὴν dicuntur ἀγιώγῳ, sed relate tantum respectu librorum profanorum & plane reiectaneorum. Vid. Hottinger thes. Phil. p. 518. sqq. & conf. supra c. I. §. V. Exstant præter Latinas versiones Syriaca & Arabica in Bibliis Polyglottis; Aethiopica etiam ex recensione Ludolfi. Hist. Aeth. lib. III. cap. 4. De Vulg. versione obseruandum est, quod totas sententias huc illuc inarserit, & Græcum textum sæpe deseruerit. Quæ causâ sit, non vna omnium est sententia. Huetius demonstr. Euang. prop. IV. p. 428. meliori, inquit, usum exemplari, vulgaris est omnium responso. At recurrit quæstio, unde orta hæc exemplarium varietas. Mihi, pergit, factum id videtur a viro aliquo pio & erudito, qui librum describens vilia pleraque & bonæ frugis plena passim adspersit, prout rerum, quas habebat in manibus, argumenta postulare censuit, Jesu Siracide inuitatus exemplo, quem Salomonis effata colligentem, multa de suo largitum esse & Salomonicis adiecisse sciebat. Occurrit

rit autem magna Græcorum exemplarium varietas, & multis in locis transferendi textum difficultas, de qua inter alios queritur B. *Lutherus* in præfat. cuius quidem versio ad Latinam, quam Græcam, proprius accedit. Versio noua Germanica cum notis criticis & locis parallelis textum pulcre illustrantibus hic edita est 1706.

§. VII. Post Siracidem considerandus venit liber *Baruch*, qui *Jeremiæ* discipulus & amanuensis fuit. Vid. Jer. XXXII, 12. cap. XXXVI, 4. 5. Huius quidem nomen licet in fronte gerat libellus, non tamen ipsius esse scriptum, sed *Πευθερβυραφου*, a Græco vel Hellenista elaboratum, iudicant eruditi. Apud Hebræos enim nec legi nec haberi, testatur *Hieronymus* præfat. in Jerem. Et sane *Baruchi* illius haud esse librum, multa nobis persuadent. Hebraica quippè lingua non est scriptus; intercidisse enim exemplar Hebraicum non credimus. Hec Hebraismi complures id euincunt. In N. T. complures etiam dantur Hebraismi, sequiturne inde, illud Hebraice fuisse scriptum? Nequaquam. Deinde nonnulla in hoc libro occurrunt, quæ cum veritate pugnant. E. g. c. I, 1. dicitur *Baruch Babylone* scripsisse librum, qui non *Babylone*, sed in *Aegyptum* cum *Jeremia* ductus est, Jer. XLVI, 3. It. c. I, 23. scribit auctor, Hierosolymam incensam fuisse regnante *Jechonia*. At 2 Reg. XXIV. & XXV. & Jer. LII, 11. 12. legitur, quod *Jechonia* quidem regnante capta fuerit, sed incensa regnante demum *Zedekia*. Porro c. I, 10. dicit auctor, pecuniam pro sacrificiis offerendis fuisse Hierosolymam missam. Jam vero Hierosolyma erat vastata, templum incensum v. 2. c. II, 26. Thren. II, 6. 7. & altare post Babylonicam demum captiuitatem fuit inætauratum. *Nec stilus & character dicendi*, inquit *Calou. bibl. illustr. præfat. in h. l. Propheticam maiestatem sapit in hoc scripto & collectio illa sententiarum & coaceruatio variis Scripturæ locis, structurae etiam indoles genium scripturarum diuinarum haut quaquam referens ad abiudicandam hisce auctoritatem propheticam non parum faciunt*. Hinc non tantum *Gregorius Nazianzenus*, *Hieronymus*, *Damasceus*, *Isidorus* hunc librum in serie sacrorum librorum non recensuerunt, sed in Concilio etiam *Tridentino* eliminan-

minandus nonnullis visus est hic liber e numero Canonicorum. Quod quidem auctor constitutionum Apostolicarum V. vlt. scribit, librum hunc in Synagogis lectitasse Judæos quotannis vna cū Threnis Jerem., die scilicet magna expiationū, non immerito in dubium vocatur; reclamatur enim testimoniis Judæorum. In *Meor. En. p.* 169. ברך המקובל לנוצרים עם היותו בלתי המקובל אצלנו. *Baruch, qui receptus est a Christianis.* (np. Pontificiis) non recipitur a nobis. vid. *Hottingeri* thes. phil. lib. II. c. II. Sect. I. p. 520. *Fortasse*, inquit *Fabricius* Biblioth. Græc. lib. III. c. XIX. p. 740. *ex Hellenistis quidam alicubi illa etate, h. e. III. post C. N. seculo, Baruchum legerunt, vti constat, alia etiam lecta a Judæis fuisse in Synagogis præter libros diuinos &c.* Ceterum haud diffitemur cum *Calouio*, dignum esse hoc scriptum, quod in Ecclesia legatur, quum stimulos addat ad pœnitentiam, modumque eius, quantum inprimis ad veram cordis humiliationem, exhibeat. Habemus præter *Latinas* huius libri *Syriacam & Arabicam* in *Bibl. Polyglottis*, & *Aethiopicam* versionem. vid. *Ludolff. Histor. Aeth.* lib. III. c. 4.

§. VIII. Baruchō subiungi consuevit *Epistola*, quæ dicitur, *Jeremie*. Scriptam esse ab ipso *Jeremia* post dirutam *Hierosolymam* ad commonefaciendos *Judæos*, qui in *Babyloniam* iam iam erant deportandi, ne ad impium idolorum cultum, cui impense dedita erat *Chaldæa* gens, malo exemplo raperentur, *Pontificiis* contendunt. Vid. *Huet. demonstr. Euang. prop. IV. p. 455.* At *ΨευδελτυπαΦον* esse, fatetur *Hieronymus* præf. in *Jerem.* Idem & alii non diffitentur. *Credam esse alterius scriptoris coniunctum prioribus ob argumenti affinitatem*, scribit *Grotius* in *Comm. super h. Epist.* Quod si ipsius *Prophetæ Jeremiæ* esset *Epistola*, lingua sine omni dubio *Hebræa* aut *Chaldæa* fuisset scripta, & a *Judaica Ecclesia* vna cum *Propheta & Threnis Jeremiæ* in numero *Canonicorum* recensita. *Huetius* quidem l. c. huius *Epistolæ* γνησιότητά probare conatur ex *2 Macc. II, 1, 2.* Enimvero cum liber iste æque sit *Apocryphus*, ac hæc *Epistola*, probatio lubrico nititur fundamento. Et ad locum illum speciatim quod attinet, suspectum esse, pluribus ostendit *Raimoldus*, censur.

fur. lib. Apocr. tom. II. prælect. 136. p. 128. *seqq.* Ad *Cypriani & Hilarii* testimonia, quorum ille de Orat. Dom. testimonium inde depromens, Jeremiam testem citare se declaret, hic vero Jeremiæ prædictiones, lamentationes & epistolam vnum e canonicis libris efficere doceat proleg. Explan. in Ps. respondemus, quod neque hæc sufficiens sit probatio. Patres enim ex libro, vel scripto non Canonico facere non posse Canonicum, supra iam monuimus. Et si sub Jeremiæ etiam nomine nonnunquam citantur hanc epistolam, idem hic valet, quod *Augustinus* de libris, *Sapientia & Ecclesiastico*, dicit: *ut Salomonis dicantur obtinuit consuetudo*; Ita ut hæc epistola dicatur Jeremiæ, non minus obtinuit consuetudo. Ut vero cetera scripta Apocrypha, ita & hoc dignum esse quod legatur, tantum abest, ut eam inficias, ut lectionem eius etiam atque etiam potius commendemus. *Syriacam & Arabicam* huius Epistolæ versionem legimus in Polyglottis Anglicanis.

§. IX. *Hymnus*, qui sequitur, *trium puerorum*, *Historia Susanne*, *Beli* item & *Draconis*, vocantur *addimenta* s. *adjectiones ad Danielem*. Huic enim adfuerunt Pontificii. vid. *Uet. demonstr.* Euang. prop. IV. pag. 471. Quod ad *Hymnum trium puerorum* attinet, pulcherrimus utique est, nec sine multa edificatione legi potest. Esse autem scriptum Canonicum, ceu Pontificii volunt, parum cum Prophetia Danielis auctoritatis, dici non potest, tum quia Hebræi codices illo carent, tum quia ecclesia Iherosolimitica & primitiua Christianæ testimonio destituitur. Vid. *Hieron.* præf. in Daniel. *Heiddeggerus* Enchirid. Bibl. p. 605. inter alia taxat in hoc Hymno, quod *Azarias* s. *Abednegov* v. 8. (al. v. 9.) acerbe in Babyloniorum regem, ceu *ἀδύον ἢ πονηρότατον παρὰ πάντων τῶν ἑθνῶν*, inuehatur, quod alienum a sanctis Dei viris, qui non ita magistratibus suis imprecari, sed pro eorum potius salute Deum ardentem precari consueverint.

§. X. Alterum, quod ad *Danielem* referunt Pontificii, est *Historia Susanne*, quam vero a Judæis non fuisse receptam, ex eorum monumentis probat *Hottinger.* thes. phil. libr. II. c. II. Sect. I. p. 521. Non enim scripta est lingua *Hebræa* aut *Chaldaica*, quod

nec

nec ipsi Pontificii inficiantur, & ostendunt etiam παρανομίας inter σχίσιον & σχίσιν, v. 54. 55. it. πρίσιον & πρίσιν, v. 58. 59. Deinde occurrunt nonnulla, quæ veritati consonare eruditis haud videntur. Quod enim v. 4. Joiakimus captiuus, recens Babylonem delatus, opulentus fuisse dicatur, domum cum pomario, horum amoenissimum possedisse, & in tanto honore ac statu viguisse, quum Judæi in captiuitate exuti fuerint bonis suis, & oneribus grauissimis a Babylonicis valde attriti, *Spanheimio* Syntagm. disp. non videtur vero consentaneum. Ita contra auctoritatem huius historię vrget *Africanus*, quod v. 5. designati dicantur duo seniores ex populo: quomodo, inquit, in Babylone Judæi habere potuerunt suos iudices, quum captiui essent: quod *Cornelius* quidem indulgentiã Chaldæorum factum arbitrat. Enimuero credibile nullo modo est, Chaldæos tantum Judæis captiuis indulgisse, vt iudicia exercerent, & supplicia decernerent capitalia. Similiter quando v. 45. dicitur: ὁ θεὸς ἐξήγειρε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παιδαγῶν νεώτερον, hæc phrasis Scripturæ, inquit *Caluuius* ad h. l. minus consentanea, num enim Spiritus S. a Domino suscitandus est, aut suscitatione opus habet? Et ad iudicium ipsum, Danielis pueri rogatu institutum, quod attinet, haud verisimile ipsi videtur, quod, quum duobus hisce senioribus & iudicibus tanta fuerit auctoritas, ad simplicem Danielis παιδαγῶν vocem totus populus non commotus tantum sit, sed regressus etiam ad tribunal, Senibus etiam illis, publicis populi iudicibus, nihil quidquam contradicentibus, & se vltro pueruli priuati & ignoti arbitrio committentibus. Præterea & hoc Chronologiæ contradicere animaduertit, quod Daniel hic tanquam παιδαγῶν νεώτερον introducat; hic enim iam in aula Darii ex primis Satrapis fuit, vid. Dan. VII. Igitur sub finem regni Astyagis puer censerit non poterat, qui cum Joiakimo iam Babylonem fuerat translatus, adeoque sub finem regni Astyagis vltra 40. annos habebat. Mouit hoc ex ipsis etiam Pontificiis nonnullos, e. c. *Erasmus* in Scholiis super præf. Hieronymi in Dan. *Driedonem* lib. I. catal. de Script. Eccles. cap. vlt. *Sixtum Senens.* lib. I. bibl. cap. 8. vt e Canone reiecerint hanc historiam. *Junii* de hac historia iudicium hoc est: *Historiam hanc argumento piam agnos-*

E

scimus,

*scimus, sed gestam fuisse minime credimus.* Atque hæc etiam est nostri *Lutheri* sententia; vid. ipsius præfat. in *Additam. Esther.*

§. XI. Tertium denique quod refertur ad *Additamenta Danielis*, *Historia est Beli & Draconis*, quam itidem *Danielis* prophetiæ non tantum inferunt, sed pari cum illa autoritate ambulare adlerunt *Pontificii*. Verum nec lingua *Hebræa* aut *Chaldæa* scripta exstat, nec pro *Canonico* scripto agnita est ab *Ecclesia Judaica*, quæ nusquam de ea litterarum quidquam consignavit monumentis. Repugnat etiam prophetiæ *Danielis*, quæ *Danielis* precationem publicam, non vero *Draconis* & statux *Beli* exterminium, causam facit coniecti in lacum *Leonum Danielis*. Vid. *Dan. VI. 5. & 10. seqq.* Nec *VI. dies*, ut *v. 31.* dicitur, *Daniel* inter *leones* transegit, sed *unicam* tantum noctem. *Dan. VI. 19. sqq.* *Chronologiæ* insuper non convenit relatio. Nam *Habakuk*, si *Propheta* ille intelligendus, ante *Nebucadnezarem* vixit, quum hæc sub *Cyro* dicantur gesta. Ceterum uti hæc *Additamenta Danielis* ad promovendam ædificationem animarum non parum faciunt, ita, providentia diuina id dirigente, factum est, ut in varias versa sint linguas, *Syriacam* etiam & *Arabicam*, quæ in *Bibliis Polyglottis* exhibentur.

§. XII. *Additamenta Danielis* sequuntur *IV. Libri Maccabæorum*. Quod si temporis obseruanda foret ratio, locum inter *IV.* hosce libros primum occuparet is, qui nunc est liber tertius; res enim continet prius gestas, ac illas, quæ prioribus duobus libris describuntur. *Ptolomæus* quippe *Philopater* rex *Aegypti*, de quo agit liber *III.* coævus fuit *Antiocho M.* qui *Pater* fuit *Seleuci & Antiochi Illustris*. Tertio autem loco, ut *Grotius* ad librum istum notat, positus, quia non tam late parentem, ut duo illi, auctoritatem adeptus est, nec vlla verus eius existit verio. Secundus locus iuxta *Chronotaxin* manet ei, qui nunc etiam est secundus; repetit enim paulo altius historiam, atque liber, qui primus vulgo dicitur, incipiendo nimirum a rebus, quæ sub *Seleuco* filio *Antiochi M.* *Judæis* euenerunt. Tertio demum loco collocandus est liber, qui nunc in ordine est primus.

§. XIII. Ante vero quam de singulis libris *Maccabæorum* agimus singulatim, præmittimus quædam de *Judæ* cognomine

73 *Maccabæis* 1 Macc. II, 4. Nonnullorum est sententia, quod Judas libertatis vindex in vexillis suis scriptum habuerit מַכְבִּי, desumptum ex verbis Exod. XV, 11. מִי כַמוֹכָה בְּאֵלִים יְהוָה, *quis est par tibi inter deos Jehouah.* Solent quippe Hebræi initials nominum litteras colligere, & fingere ex iis vocem compendii causi. Ita ex his initialibus litteris מַכְבִּי, *Machbei*, aut, vocabulo corrupto, *Maccabæi*. Reiiicit vero hanc nominis explicationem *Fullerus* Miscell. lib. 2. c. 13. existimans Judam sic dictum qf. מַכָּה בִי, *per me est plaga*, Judæis np. apostatis & gentibus, fidelium persecutoribus, *insurgenda*; vel esse nomen formæ מעשי *1 Par. IX. 12.* deriuatum a כָּכָה, *extinxit*, vt מַכְבִּי denotet *extinctorem*, qui cum parastatis suis bella fortiter extinxit. Adidit & tertiam coniecturam, quæ l. c. videatur. Ab Arab. כַּבַּב *vel כָּבַב*, quod significat *prostravit, in terram deiecit*, præfixo מ, deriuat *Hottingerus* thes. phil. libr. II. c. II. Sect. I. p. 522. Obseruandum autem est, quod hoc nomen non tantum Judæ, sed ipsius etiam fratribus, immo toti familiæ, adhæserit, in memoriam Judæ tanq̄ herois sempiternam. Atque hinc libri, qui res, ab ipso & fratribus gestas, describunt, dicti sunt *Maccabæici*, quin & ipsa tempora *Maccabæica*. Hebræis dicuntur *Asmonæi*, secundum nonnullos ab oppido *Hasmon* Jos. XV, 27. Al. qf. חַשְׁמֹנִים, *magni principes*. Pl. LXVIII, 32. *Constantinus L'Empereur* p. 27. in Midd. deducit ab Arab. حشمت, *timuit*, & Hebr. מַנָּה *præfecit*: q. d. *præfectos reuerendos*. *Fullerus* l. c. a חש, *festinavit*, & מַנָּה *præfecit*, quod legatum nihil magis deceat, quam celeritas. *Hottingerus* autem l. supra c. ex Arab. حشمت *vel حشمت*, *irasci*: unde, inquit, *adiecto* ך *formatiuo emergit* חשמת, *iratus*; iusta quippe ira, zelo Dei accenia, *Matthathias*, & qui eum sequebantur, bello hostes Ecclesiæ oppugnauerunt. *Significat etiam* חשמת *erubescere, quo sensu* חשמת *eum denotabit*, ad cuius adspæctum erubescimus, quod coram præsidibus fieri solet. Sed & tertio vox Arabica حشمت, quum affines significet & propinquos, quid obstat, quo minus *Asmoneos Matthathie posteros* χασματων *aut αντρομασιων* affines, propinquos adpellari voluisse credamus,

damus, quo ita officii & mutue defensionis hoc nominis symbolo monerentur. Tandem etiam כשם est verberare, unde חשמן, form. חשמן, πλήστην notat. Quod profecto apprime cum Etymologia nominis מכבי supra a nobis posita congruit. Erant enim Asmonæi flagella hostium Ecclesie, quorum verberibus succubuerunt. Sed nunc de singulis Maccabæorum libris singulatim.

§. XIV. Primus Maccabæorum liber res a *Matthathia* patre eiusque filiis, *Juda*, *Jonatha* & *Simone*, gestas enarrans, Hebræo idiomate nonnullis videtur consignatus; tituli enim Hebraici meminit *Origenes* apud *Euseb. H. E. libr. VI. c. XXV.* ἔξω δὲ τῶν, inquit (ἐν δὲ ἀσμωνῶν nimirum) ἐστὶ τὰ μακκαβαϊκὰ, ἀπὲρ ἐπιγέγραπται Σαβῆθ σαβῆθ ἐλ. Quod *Huetius* demonstrat. *Euang. prop. IV. p. 526.* exponit: מַכְבֵּי שֵׁר בְּנֵי אֱלֹהִים, *scpturum rebellium Dei*, vel secunda dictione disiunctim scripta, מַכְבֵּי שֵׁר בְּנֵי אֱלֹהִים, *scpturum principis filiorum Dei*. Pro Græca vero lingua contendit *Beuer egius* in Codice canonum vindicato p. 277. apud *Fabric. Bibl. Græc. lib. III. c. XXIX. p. 748.* Quisnam libri I. Maccab. auctor sit, incertum est. *Sunt*, inquit *Huetius* loco citato, qui *Johannem Hircanum* fuisse putant, *Simonis filium*, quem diuturno potitum imperio ac pontificatu & futurorum quoque præscium fuisse narrat *Josephus*, quod & tuto credi, & sine periculo negari potest. Prophetam non fuisse, quisquis etiam sit auctor, certo certius constat, non tantum ex I. Macc. IX, 27. sed inde quoque, quod multa veritati repugnantia scribat. Ita e. c. cap. I, 6, 7. *Alexander M.* regnum suum diuisisse dicitur inter ministros. Ast non ipse diuisit regnum sed successores eius, ipso mortuo, sicuti consensus est omnium historicorum probatorum. Item Cap. VIII, 7. scribitur, Romanos *Antiochum M.* viuum cepisse, quum Historici vnanimiter dicant, eum euasisse, & quæ sunt cetera, cum historia pugnantia; de quibus prolixè *Rainoldus* cens. lib. Apocr. tom. I. prælect. 98 - - 104. Destituitur præterea testimonio Ecclesie, ceu ex testimonio *Origenis* supra citato patet. Vid. *Rainold. l. c. prælect. 39. p. 366. sqq. prælect. 37. p. 356.* Vtilissimum nihilominus esse librum, immo necessarium ad intelligendum  
Pro-



Prophetam Daniele c. XI. iudicat B. *Lutherus* præf. in h. l. Quidquid enim vaticinetur Daniel de abominationibus & infortunio populi, eius impletionem describere hunc librum ait. Solarii quoque plenum esse, dum Deum in omnibus afflictionibus & angustiis iuuare posse, egregie nos doceat. Idem prope modum sentit *Rainoldus* l. c. tom. I. p. 1306. Quam ob causam Patres hunc librum fecisse maximi, ibidem obseruat. In Bibl. Polyglottis præter *Latinas* huius libri *Syriacam* habemus versionem. Possident eum & sequentem librum etiam *Aethiopes*, vid. *Ludolf*. *Histor. Aeth.* libr. III. cap. 14.

§. XV. *Secundus* Maccabæorum liber nihil aliud est, quam latior repetitio eorum, quæ primi libri septem capitibus commemorantur. Est autem hic liber, binas si exceperis epistolas, ex V. libris *Jasonis Cyrenæi* excerptus. vid. 2 Macc. II. 23, sqq. Sed qui in vnum eos compegerit librum, itidem vt prioris Maccabaici auctor ignoratur. *Hieronymus* Catal. illustr. Vir. libr. II. contra Pelagium vtriusque, & primi & secundi libri, facit auctorem *Josephum*. *Honorius Augustodanensis* vero de Script. Eccl. in *Philone Philonem Judæum*. At stili character, inquit *Huetius* demonstr. Euan. prop. IV. p. 529. *Philonis stilo discrepat, etsi disertus est; nec in Philonis scriptioibus occurrit quidquam, unde non modo fatum ipsius hunc esse, sed vel visum ipsi coniectare liceat: quod esset sane aliter, si libri auctor extirisset. Josepho autem cur sit adscriptus, causa manifesta est. Scripsit is elegantem librum hoc titulo: εἰς Μακκαβαίων ἢ περὶ αὐτοκρατορίας τοῦ Ἰωσήφου: De Maccabæis, siue de imperio rationis, quo Eleazari septemque puerorum ac piissimæ matris, supplicia narrantur. Hinc *Hieronymus*: *Josephus*, Maccabæorum scriptor *Historia*, frangi & regi posse dixit perturbaciones animi, non eradicari. Fraudis hæc fuerunt vel imperitis vel incautis lectoribus qui expressum ex Maccabaico II. libellum cum Maccabaico ipso secundo confuderunt. Adde, & nonnulla haberi in *Archæologia Josephi*, quæ cum libro illo non satis consentiant. Adfert ibidem *Serarii* opinionem, qui Judæ cuiusdam *Essæi* elucubrationem esse opinatur, quam itidem reuicit. Sane non a viro prophetico hunc librum conscripum esse, finis libri c. XV. 38. 39. arguit. Arguunt id ipsum non minus*

E

multa

multa, quæ in hoc libro occurrunt, historicae veritati, i Maccab. libro & Canonicis Scripturae S. libris contraria. Sic e. g. cum rei veritate pugnat, quod c. I, 13. narratur, Antiochum Epiphanem occisum in Nantzæ templo, & contradicit c. IX. & i Mac. VI, 8. sqq. vbi dicitur mœrore confectus, quod audierat exercitum suum a Judæis fufum. Contrariatur etiam Danieli c. VIII. vbi de hoc rege vaticinatur, ipsum *sine manu iri fractum*, h. e. vindictam diuinam sic iri inflatum Antiocho, vt tristitia & mœrore sit conficiendus, sicut i Mac. VI. mors eius ita describitur. Omnes quoque probati Historici communi id ipsum consensu eunt adfirmatum. Ita *ἀστυφάρον* cum libro I. quod c. I, 10 de tempore occisi Judæ Maccabæi narratur, coll. cum lib. I, cap. IX, 3. de tempore purgati templi c. X, 1. sqq. coll. cum lib. I. c. IV. Ita c. I, 18. vbi dicitur Nehemias ædificasse templum & altare, contrarium est libris Esræ & Nehemiæ; templum enim & altare a Zarobabele & Josua sacerdote prius ædificatum erat, quam Nehemias adveniebat. Porro Reziæ *ἄτροχεστία* magnopere laudatur cap. XIV, 37. seqq. & quæ sunt alia, de quibus fufissime Rainold. cens. libr. Apocr. tom. I. prælect. 105. sqq. & tom. II. fere toto. Apud Pontificios hic liber maximam obtinuit auctoritatem, acerrimoque studio & pertinacia ab ipsis defenditur. *Neque sane mirandum est*, (verba sunt Rainoldi cens. libr. Apocr. tom. I. p. 13 12.) *si tantopere fremant & indignentur aduersus Protestantes, qui dum hunc librum e canone reiciunt, questum illis tantum extorquere conantur.* Scitis enim Demetrium non sine causa indignatum aduersus Paulum cum artificibus convocatis, scitis, inquit, viri, ex hoc questu nostras esse copias, & periculum est, ne portio ista nobis per ipsum confutata pereat, Act XIX, 25. Nimirum stabiliunt ex hoc libro Pontificii thesin suam, *orandum esse pro defunctis*, quæ haud exiguum ipsis lucrum parit. Apostolum ad hunc librum respexisse, nos quidem non negamus, quando e. c. Hebr. XI, 35. ait: alii *ἐτρομακιδνωσαν*, *dissentiunt sunt, sicut corium supra tympanum, vel tympanorum instar fustibus ad mortem cæsi sunt.* Ita enim legitur de Eleazare 2 Mac. VI, 19. *αὐδαίετας ἐπὶ τὸ τυμπανὸν προσήης*, *uliro ad tormentum accessit.*

alium

Et

Et quando Apostolus I. c. addit: ἡ προσδεξαμένοι τὴν ἀπολύτρωσιν, haud obscure nos remittit ad 2 Macc. VII. Sic. Hebr. XI, 38. conf. cum 2 Macc. V, 27. c. VI, 11. c. X, 6. Cetera vero cum desint libri Canonici requisita, allegatio hæc probat libri tantum antiquitatem, non vero Canonicam eius auctoritatem. *Syriaca* huius libri versio exstat in Bibl. Polyglottis; quæ vero ibidem sub hoc titulo reperitur *Arabica*, versio est *Pseudo-Gorionidis*, vt notauit *Antonius van Dalen* disert. de Historia Aristeæ p. 136.

§. XVI. *Tertius* Maccabæorum liber insignem historiam exponit de grauissimis calamitatibus, quas Judæi a Ptolomæo Philopatore Aegypti rege fuerunt perpeffi, & mirabilem a Deo ipsis præstitam liberationem. *Maccabaicus* vocatur, non quod ad Judam Maccabæum eiusue fratres quidquam pertineat, sed quod ii, de quibus hic liber agit, pari cum Maccabæis animo pro lege Dei fecerint multa & tolerauerint. *Hieronymus* prol. in libros regum hunc librum vocat *πάστορα*, f. *Pástorem*, non autem *Pástorem*, vt plerique putauerunt; nimirum ἀπὸ τῆς πασείας f. *πασίδας*, h. e. ab *atrio*, in quo sacerdos summus cum comitatu suo intercedebat, ne Ptolomæus Philopator sanctuarium intraret. *Junius* hunc librum ita inscribit: *Schimonis Sacerdotis summi liber vnus, qui vltimo liber Maccabæorum III. appellatur.* Canon Apost. vltimus sacris quidem libris eum annumerat, quod & *Franciscum Turretinum* commouit, vt eadem, qua ceteri libri, dignitate afficiendum esse censuerit, vid. *Rainold.* cens. libr. Apocr. tom. I. p. 1430. Verum Romana nihilominus Ecclesia e canone eum reiecit. Narratio, quæ in hoc libro occurrit de productis aduersus Judæos Elephantis *quingentis*, quum paulo ante Ptolomæus Philopator in proelio ad Rhamphiam nonnisi *septuaginta tres* grandi Antiochi exercitui opposuerit, suspecta est *Bocharto* Hieroz. part. I. lib. II. c. 26. f. 260. Accedit, quod *Iosephus* contra Appionem lib. II. historiam hanc non Ptolomæo Philopatori, sed *Phyfeoni Evergeti II.* tribuat. *Eusebius* in Chronico libri huius facit mentionem. Versio *Syriaca* legitur in Bibl. Polyglottis.

§. XVII.

§ XVII. Superest *Oratio Manassis*, quam rex captivus orasse dicitur, coll. 2 Par. XXXIII, 12. & quidem iuxta *Eutychicum Alexandrinum* in vitulo æreo, cuius alio candenti a Babelis rege inclusus fuerit Rex Manasses. Orante vero ita Manasse, disruptum fuisse simulacrum, missumque statim a Domino Angelum, qui Manassem sublatum Hierosolyman deportauerit. Humiliatum fuisse in captiuitate Manassem, doluisse de peccatis, preces ad Deum fudisse, ideoque vinculis solutum Hierosolyman fuisse reductum, Scriptura nos docet, miraculi quidem mentionem faciens nullam. Ad hanc vero Orationem, quæ *Manassis* vulgo dicitur, quod attinet, nemo facile reperitur, qui pro Canonica eius pugnare velit auctoritate. *Heiddegerus* Enchir. Bibl. p. 614. *Præscribunt*, inquit, *auctoritati eius non tantum communia contra libros Apocryphos argumenta, sed illud etiam, quod in ea inter alia v. s. legitur: Tu Domine, Deus iustorum, non posuisti pœnitentiam iustis, Abrahamo, & Isaac & Jacobo, qui non peccauerunt tibi &c. Quæ verba si ἀπλῶς absolute intelligantur, analogiæ fidei repugnant, quum ne vnus quidem, a Christo si discesseris, ita iustus sit, ut gloriam apud Deum habeat, & pœnitentiæ indigus non sit.* Conf. tamen Mat. IX, 12. 13. Antiquissimus, qui huius *Orationis* meminit, est *Pseudo-Clemens* libr. II. const. Apost. c. 22. Haud vero absque ratione coniectat *Cel. Fabricius* in edit. libr. Apocr. Græco-Latina p. 208. ipsum *Pseudo-Clementem*, hanc Orationem confecisse.

§ XVIII. Hæc sunt, B. L. quæ de libris Apocryphis V. T. communicare tecum voluimus, ex quibus, quid sentiendum de iis sit, satis superque constare posse arbitramur. Non quidem libris Scripturæ Canonicis æquiparandi sunt, sunt nihilo tamen minus habendi maximi, sedulaque terendi lectione; ad ædificationem enim animarum non parum facere, plus vice simplici in hac tractatione adfirmuimus. Præterea vsus insignis est, quem præstant lectio- ni N. T. de quo vid. dissert. nostra de *Vsu Librorum Apocryphorum V. T. in N. Testamento*. Ceterum grata agnoscamus mente, quod diuina prouidentia hosce libros ad nostra vsque tempora conseruauerit; & sicuti iidem in Ecclesia olim lecti sunt ad plebis ædificationem, ita & nos iis in eundem vtamur finem.

Sic enim a nobis vere dabitur

SOLI DEO GLORIA.

AB: 44  $\frac{19}{K, 6}$

ULB Halle

003 150 003

3



VD 77








2

M. GEORG IO. HENCKEN,  
ECCLESIAE GLAVCHENSIS DIAconi,  
HISTORICO - PHILOLOGICA  
AD  
**LIBROS  
APOCRYPHOS  
V. TESTAMENTI;**  
EXHIBENS  
**POTIORA MOMENTA**  
CIRCA  
ILLOS OBSERVANDA;  
IN VSUM STUDIOSAE IUVENTVTIS  
BREVITER AC SVCCINCTE CONSCRIPTA, RE-  
VISA ET SECVNDA NVNC VICE AV-  
CTIOR RECUSA.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis & Sumptibus CHRISTIANI HENCKELII, 1718.

